

Bartholomäus Leonhard Schwendendorffer    Heinrich Samuel Eckhold

## **Exercitatio Academica, De Perduellione**


Lipsiae: Hahnus, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79417731X>

Druck    Freier  Zugang









N. N. 2 (83.)

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39



1. Simon de intimatione executionis criminalis.
2. Falckner de jure sacro & POSSESSIONATION.
3. Becker de exceptione non numeratae pecuniae.
4. Jutz de oppigneratione junium.
5. Peier de dissimulatione.
6. Jacobi de nobilitate quae litteris acquiritur.
7. Martini de usu et abusu monomachiae.
8. Martini de carceribus eorumque usu et abusu.
9. Martini de transmissione actorum.
10. Jutz de militia brigata et epis vinculis cum sagata.
11. Becker de jure peculiorum filiorum familias.
12. Jutz de evictionibus.
13. Lauterbach de magis dilecto.
14. Bardili de iudicio militum privilegiato.
15. Lauterbach de domicilio.
16. Lauterbach de alienatione rerum quae minorum sunt.
17. Lauterbach de inventario hereditatis.
18. Lauterbach de thesauris eorumque acquisitione.
19. Lauterbach ad L. 16. § qui satrapam cogantur.
20. Lauterbach de remedio legis si contendat ff. de fidejussoribus.
21. Lauterbach de transiitione actionum.
22. Schilker de sublimi patricatus honore.
23. Müller de possessione a detentore derelicta vel prodita.
24. Roth de fidejussoribus delinquentium.
25. Peberlen de potioribus aetatum privilegiis.
26. Beckmann de jure consiliorum.
27. Ittig de officii in favorem tertii resignatione.
28. a Gehag de prohibitione nuptiarum gradu secundo lineae inaequalis.
29. Bardili de legato conditionali.
30. Strauch de oppignerationibus rerum imperii.
31. Kurrer de dolo causam dante.
32. Bardili de curatore ad litem.
33. Mangel de iis qui erubescunt.
34. Falckner de omiptione.
35. Peier de confessione et inficiatione tacita.
36. Schwendörfer de perduellione.
37. Falckner de purgatione morae.
38. Mühlpsfort de variis causarum figuris.
39. Beckmann de jure famulorum hodierno quatenus veteri servorum juri convenit aut discrepat.



40. Beckmann de avocatione causarum.
41. Schroter de privilegio pauperum.
42. Falcken de juramento necessario.
43. Beckmann de obligatione impuberis.
44. Schwenkendorffer de peculio.
45. Falcken de antiquo et moderno adoptionum statu et jure.
46. Beier de oculitate.
47. Obrecht de reservato ecclesiastico. qui pluribus vocabitur.
48. Meyer de manu longa ac brevi.
49. Leowler. de jure mortis naturalis.
50. Eichel de aucupio ejusque jure.
51. Böttcher de secularisatione.
52. Kleinschmidt de forma jurisjurandi civili.
53. Beinhardt de successoribus allodialibus et feudalibus.
54. Bruckner. protheoria juris. et potiorum illius specierum.  
Idem. de postlimonia.



EXERCITATIO ACADEMICA, 36/24.  
DE  
PERDUELLIONE,

QUAM  
ADSPIRANTE SUPREMO NUMINE,  
SENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI  
CTORUM ORDINIS

IN  
INCLYTA PHILUREA  
SUB MODERAMINE

VIRI

MAXIME REVERENDI, PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI,  
CONSULTISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI,

DOMINI

BARTHOLOMÆI LEONHARDI

SCHWENDENDÖRFFERI,

J. U. D. Codicis Professoris Celeberrimi,

Canonici Martisburgensis gravissimi, Curia Supremæ  
& Facultatis Juridicæ Assessoris, nec non Academiae

Decemviri spectatissimi,

*Dn. Patroni ac Studiorum suorum*

*Promotoris atatem devenerandi.*

Placido Eruditorum examini submittit

HEINRICUS SAMUEL *Eckhold*/ Geranus.

AUCTOR-RESPONDENS.

*Ad d. 29. Junii 1676.*

LIPSIÆ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



20/21

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
PER DUELLORE

ADRIA ANTE-SOPRANO NUMINA  
CONSTITUTAE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
R. FORM. ORDINIS

INCLYTA PHILIBEA  
DE MODERAMINE

IN R. I. A. S. S. I. A.  
MAGIS. T. P. T. A. A. R. M. O. R. I. S. S. I. M. A. S. S. I. M. A.  
R. E. S. P. U. B. L. I. C. A. S. I. N. E. E. X. C. E. L. S. S. I. S. S. I. M. A.

DOMINI  
BARTHOLOMÆI LEONHARDI

SCHWENDBURGER FERRI  
J. D. D. Codicis Professoris Celserrimi

Canonici Mathematicorum et Astronomorum C. A. S. S. A. M. E. N. S. I. S.  
S. S. T. I. T. U. T. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E.

Declaravit per hoc scriptum  
D. Johann. Leonh. Schwendb. Ferr. J. D. D.


in R. I. A. S. S. I. A. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. I. A. S. S. I. M. A.  
S. S. T. I. T. U. T. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E.

HENRICH SAMUEL GIBBON CLAVIER  
LUTTORPENSIS

IN R. I. A. S. S. I. A. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. I. A. S. S. I. M. A.  
S. S. T. I. T. U. T. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E.

LEONH. JOHANN. LEONHARDI





*Prooemium.*

**D**Ubitavit jam olim cana & sana anti-  
quitas, utrum omnibus flagitiis statue-  
re pœnas, an omittere satius esset ea,  
quorum immanitatem ipsa Natura per-  
horrescit: Credo, quod plerique malè o-  
minari nollent de genere humanò, aut  
etiam persuadere sibi, hæc fieri posse scelera, quæ da-  
mnarent. Sed hoc exulceratum tempus dubitantibus  
serupulum ademit, ostenditque, eò progressam esse mor-  
taliū temeritatem, ut non immerito cuiquam videri  
posset, revolutò siderum cursu, illud rediisse seculum,  
quo, Terræ filios contra DEos pugnasse quondam, Poë-  
tæ fabulantur. Vicennium nunc, & quod excurrit, est,  
ex quò in tranquillò egit Germania; nil ferè tumultus  
domi, cum exteris fœdus. Nec quicquam videbatur  
tantarum virium, quibus par esset tentando fundamento  
tot legibus benè vallati Imperii. Cujus ut certius secu-  
ritas viveret, vocati Ordines ante annos non ita multos  
Ratisbonam, qui de armis Turcorum propulsandis co-  
gnoscerent. Adfuerunt plerique manu & consiliò fa-  
tis prompti, junctisque viribus tantà fortitudine dimica-  
runt, ut, copiis hostium gemino prælio ad internecio-  
nem cæsis, mox bellum omne felici pace conso-  
piverint. Sed hæc halcyonia brevi post ingentes, iique  
ferales admodum motus exceperunt. Gallicus enim ille  
Hannibal, qui spe improbâ Imperium Romano-Germa-  
nicum



nicum amplexus, nescit, ex ingenio Cæsaris, superiorem  
ferre, apertò Marte illud invasit, rapinis, cæde & incendiis  
in finibus grassatus. Serò & strepente jam bellò exci-  
tata Germania, vim vi depellere modis omnibus anni-  
fa est, nec unà hæcenus, DEI munere, redimita lauru,  
lacertos adhuc movet, ingruentem denuò belli molem  
strenuè à cervicibus propulsura. Et sanè sic fat fortean  
foris tuta foret, nisi tot in sinu foveret angves, qui letha-  
le virus per omnia ferè membra ejus dispergerent. Quo-  
tus enim quisque tot perduelles, tot pestes patriæ enu-  
merare potest? Afflavit certè hic malignus orci halitus  
non Germaniæ modò, sed universum fermè, quà patet,  
Europæ orbem, illos maxime, quos ad sublimiorem di-  
gnitatis gradum Fortuna evexerat. Incubabant illi in-  
tra viscera arcanis Imperii consiliis, quibus ad hostem  
perfidè delatis, mox in ipsius Principis sævire caput, sce-  
lere aliis arma, aliis exitiale toxicum ministrante. Sed  
*sapè divinitatis opera hæc sunt, ut Furias in ipsò jam successu se-  
curas subita ultio excipiat, ne vel unquam improbis timor, vel  
spes absit calamitose virtuti.* Dignum memoratu est ve-  
tustum numisma, in quò stans Deorum maximus, sini-  
strà hastam, trifulcum dextra gestat, quò Principis imagi-  
nem protegit, his ad oram literis: Jovi Conservatori. Cer-  
tè & complures factiosorum, qui in perniciem suæ pa-  
triæ nefariò ausu DEUM ipsum in Principe oppugna-  
rant, cœleste fulmen è suò fastigio excussit, quod antea  
ambitiosè nimis conscenderant. In ipsò enim depre-  
hensi facinore, jam dudum carnificis manu plerique pe-  
rierunt: alii adhuc vinculis onerati dignam factis suis  
sententiam expectant, maximò suò malo edocti, plum-  
beis quidem pedibus incedere divinam Nemefin, sed tar-  
ditatem

Barclai. Arg.  
lib. III.

Exhibet hunc  
numum Gu-  
ther. de Jur.  
Man. lib. I. p.  
m. 15.



ditatem sæpius atrocitate supplicii compensare. Usque  
adeò verum est, quod Lyricorum Princeps cecinit:

*Rarò antecedentem scelestum  
Deseruit pede pœna claudò!*

Horat. lib. III.  
od. 2.

Has ergò temporum injurias accuratiùs paulò mecum  
revolventi, placuit præ cæteris hæc perduellionis doctri-  
na, in quâ specimen Academicum editurus vires meas  
periclitarer. Quas quidem etfi tenellas admodum, nec  
materiæ gravitati pares agnoscam; ne tamen viderer  
officio meo planè defuturus, divino fretus auxilio susce-  
pi tandem in humeros, cui ferendo aliàs vix sufficerem.  
Sit igitur

## FAVENTE JESU!

### THESIS I.



Vocabulum *Perduellio* derivatur haud dubiè à vo- Etymologia.  
ce *duellum*, Antiqui enim pro *bellum* dicebant  
*duellum* & pro *Bellona*, *Duellona*, unâ nimirum,  
syllabâ, quæ nos distinctis hodiè pronunciamus.  
Sic *duidens* pro *bidens*, & apud Lucretium legitur: *Egvorum*  
*duellica proles*, pro *bellica*. Vid. *Gifan collect. Lucret. p. m. 333.*  
& *Laurenberg. Antiquar. hæc voc. p. m. 143.*

### THESIS II.

Sumitur autem vel latè vel strictè. Latè significat Homonymia.  
omnem hostilitatem, quæ à quovis contra aliquam Remp.  
suscipitur. Hinc *Perduellis* antiquitùs vocabatur, qui nunc  
hostis, i. e. cum quò Populo Romano bellum esset *l. 134. ff.*  
*de V. S.* Et sic *perduellio* complectitur etiam hostes *exter-*  
*nos*, qui capti, de Jure Gentium, cum omnibus suis faculta-  
tibus in manus & arbitrium victoris deveniunt. *l. naturalem.*  
*5. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* Strictè denotat illum actum,

A 3

quò



quò Subditus alicujus Reip. everfionem aut labefactionem  
ejus machinatur; etfi & hic veteribus nonnunquam *hostis*  
vocaretur, per *ἐὺφρησιμὸν* fcilicet, lenitate verbi triftitiam  
rei mitigante, ut ait *Cicero lib. I. de offic.*

THESES. III.

Synonymia.

Vocatur aliàs *peccatum contra statum*, *Arist. lib. IV. Polit. cap. ult.* Et ab Ulpiano *proximum sacrilegio Crimen. l. 1. pr. ff. ad L. Jul. Maj.* quæ verba, dubium non est, quoniam de perduellione exaudiri debeant, cum & §. 1. d. l. subjuncta statim definitio non de simplici Majestatis crimine, sed ipsa perduellione intelligenda sit, monente *Wissenb. disput. 34. th. 4. ad ff.*

THESES. IV.

Definitio.

Describitur autem Perduellio à Jcto d. l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. quod sit Crimen illud, quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur. Nos plenius ita: Perduellio est delictum publicum ab homine subdito contra Rempublicam ad everfionem aut labefactionem ejus directò susceptum.

THESES. V.

Generis loco posuimus *delictum*: per quam vocem, intelligimus omne factum turpe, quò alteri nocendo, aliisve modis contra leges Reipublicæ agitur. Duo enim delictum continet (1) *factum*, quod significat actum hominis externum, sive in committendo sive in omittendo consistat. (2) *facti turpitudinem*, quæ potissimum ex inconvenientiâ, quam habet ad leges Reip. conspicitur, & de quâ præprimis sollicitus est Jctus, utpote cujus est, facta legibus, tanquam normæ applicare, & inde eorum cum his aut convenientiam aut inconvenientiam monstrare.

THESES.



THES. VI.

Additur in definitione : *Publicum*, ad differentiam *Privatorum*: idque triplici de causâ (1) ratione *persecutionis & accusationis*; quod cuius ex populo executio ejus plerumque detur, docente Justiniano §. 1. *J. de publ. Jud.* (2) ratione *objecti*, quia versatur circa statum publicum, ad cujus eversionem ac turbationem maximè tendit. (3) ratione *Originis s. Cause efficientis*, quia ex legibus publicorum Judiciorum vindicatur, inter quas expressè refertur Lex Julia Majestatis *l. 1. ff. de publ. Judic. & §. 3. J. eod.* quæ ultima acceptio potissimum est hujus loci.

THES. VII.

Causa efficiens est animus perduellionem committendi: subjectum verò activum est homo, sive masculinus sive foemina; utrumque enim genus complectitur *l. 152. ff. de V. S.* Neque hic moramur longè ridiculam ejus opinionem, dudum à viris doctis explosam, qui mulieres homines esse negavit, motus *l. 38. §. 5. ff. de pœn.* quem textum solidè explicatum exhibent, præter alios, *Hahn. ad Wesenb. part. II. p. m. 517. & Henricus Salmuth ad Panciroll. tom. I. rer. memorab. p. m. 449.* Ut libenter concedamus, vocem *hominis* in Jure nostro quandoque etiam, propter excellentiam sexus, masculinum genus solùm denotare: exemplo esse potest vel unicus locus *l. ult. C. Commun. de manumiss. ibi: hominibus Uxores habentibus.* Nec simpliciter hic homo consideratur, sed *relative*, quatenus nimirum relationem dicit ad societatem Civilem, puta Remp. ideoque in definitione additur vocabulum *Subditus*. A nemine enim committitur perduellionis crimen, nisi à Subditò. *Clement. Pastoral. v. Rursus de sent. & re judic. Rosenthal de Fend. Cap. XI. concl. 14. n. 1. Gail. de pac. publ. lib. II. c. 13. n. 19. &* quod in familiâ est parricidium, id in Republica perduellio, nisi quod hæc eò gravior,

Causa efficiens.  
Subjectum activum.



vior, quò magis publica, & in perniciem plurium simul tendit. Per subditum autem h.l. intelligimus illum, qui in conditione parendi positus, & corpore & rebus Domino suo obligatus, adeoq; subditus verè talis est.

THES. VIII.

Excludimus ergò hîc<sup>(1)</sup> *Peregrinos & Advenas*, quippe qui neque corpore neque rebus isti Reip. in quâ ad tempus commorantur, obstricti sunt. Cum enim in omni Republica propriè tali sit Majestas, & hæc sit totius Reipublicæ Caput, sponte liquet, eam non nisi ad sua membra referri posse, in quâ sola exercet Jurisdictionem, non verò in alios, quales sunt peregrini & advenæ, quia leges ejus extra territorium, quod ab ipsa regitur, non valent, nec quenquam obligant. *arg. l. ult. ff. de Jurisdic. Nat. a tom. IV. Consil. 663. n. 7.* Ut proinde jure meritò reprehenderit *Armsæus lib. I. de Jur. Maj. p. m. 412. in fin.* Paurmeisterum, qui *lib. II. de Jurisdic. cap. III. n. 22.* injuriâ Bodinum taxavit, quod definiverit tantum Majestatem resp. subditorum, cum Jurisdictio ejus extendatur quoque ad peregrinos & advenas, qui in iis provinciis, quæ ipsi subsunt, vel contrahunt vel delinquant. Et si enim largiamur, advenas s. hospites legibus alterius Reipublicæ, quoad illi immorantur, urgente sic tranquillitate publicâ, obstrictos esse, cum ejus pars quædam, utut temporaria saltem, videantur esse, uti censent summi Jcti, *Zoes. ad tit. ff. de Leg. n. 20. Strauch. dissert. Academ. III. th. 35. Perez. ad C. I. tit. 14. n. 14.* & id propter etiam subditi temporarii vocentur ab *Hug. Grotio, de J. B. & P. lib. II. c. 11. n. 5.* in tantum, ut etiam illi, qui propriâ Majestate aliàs coruscant, in alterius territoriò illam non retineant, nisi cautionem receperint priùs ab eò, in cujus regnum veniunt, se ibi quoque Principes futuros: quod jus inter Summas Respublicas tacite inductum & moribus receptum esse, ex historiis firmat acutissi-



acutissimus Politicus, Christoph. Förstn. *hypomn. Polit. XXIII*,  
benè tamen distingvendum est inter Jurisdictionem *plenam*  
*f. ordinariam*, quæ semper talis est, & *Conditionalem* s. *extra-*  
*ordinariam*, quæ per accidens saltem exercetur. Illam tan-  
tùm in subditos verè tales habet Majestas; hanc in peregrin-  
os quoq; & advenas, quamdiu in ejus territorio versantur.  
Qvâ de re etiam fit, ut, quamvis illi adversus Rempublicam  
non suam conspiraverint, & sic juxta *l. 1. § Authent. quâ in*  
*provinc. C. ubi de Crimin. ag. oport.* in locò commissi delicti  
puniri possint ac debeant secundum Jura ibi constituta; ne-  
quaquam tamen, ut perduelles propriè tales coërceantur;  
qvoniam eam Reipublicæ Majestatem, cui se nunquam sub-  
jecerunt, non ut Majestatem lædunt. Sic Romani olim, cum  
cives, qui cum legatis Tarquinii Regis contra libertatem  
Reipublicæ conjurarant, extremò supplicio afficerent, le-  
gatos, qvanquam videbantur commisisse, ut hostium loco es-  
sent, incolumes dimisere, teste *Liv. lib. II. in pr. ab U. C.*

THES. IX.

Deinde & hic (2) *Vasallum* removemus. Dicimus au-  
tem talem, cui res aliqva in Feudum concessa est, cujus no-  
mine Domino Feudi per jusjurandum fideni suam adstrin-  
xit; quâ de re etiam *Fidelis* dicitur, à fide nimirum, quam de-  
bet Domino. Nequaquam verò putandum est, per Jusju-  
randum, quod præstatur Domino, Vasallum fieri subditum,  
cum aliud sit homagium *propriè* sic dictum, quod, quia ratio-  
ne personæ fit, & *personale* vocari solet: aliud homagium,  
*impropriè* tale, quod ratione rei tantùm defertur, & aliàs Ju-  
ramentum *fidelitatis* appellatur. Illud & fidelitatem &  
subjectionem inducit, estq; prima agnitio & confessio sub-  
jectionis, & maximum obsequii & humilitatis signum: *Reink.*  
*de R. S. & E. lib. I. class. V. c. 4. n. 3.* Hoc verò non subjectionem,  
sed fidelitatem tantùm continet, quæ potissimùm in-

B

ope



ope & defensione consistit, ad quam Domino Feudi præstendam Vasallus se hoc juramentò adstringit, uti constat *ex 2. F. tit. 7.* quæ defensio sanè nequaquam includit subjectionem. Hinc & in hoc jurejurando verba: *Gehorsam zu seyn* / non continentur, quæ tamen in illò priori semper occurrunt, uti observat *ex Arumæo Cellarius in Polit. lib. II. c. 19. §. 25.* Cum itaq; ratione rei tantùm, non verò corporis s. personæ Domino feudi Vasallus obstringatur, adeoq; subditus verè talis non sit, spontè sequitur, illum, ut talem, perduellionis crimen in feudi Dominum subire non posse. *Bof. introd. in notit. Rerumpp. cap. III. §. 28. Carpz. Part. IV. Constit. Elect. 1. def. 14.* Unde & Vasallus, licèt maximè Dominum offenderit, non capite, uti aliàs Perduelles, sed ademptione Feudi tantùm punitur *Schrader. p. 9. c. 8. n. 18. fol. m. 448.*

THES. X.

Porrò & hinc (3) exesse jubemus *Clientes*, quos describimus, quòd sint illi, qui se alicujus potentioris ductui adplicent, ut ejus patrocinio defendantur in capite & fortunis, ipsiq; vicissim Protectores suos comi quâdam observantiâ & obsequio colant. Etsi enim illò, cujus protectioni se committunt, plerumq; sint inferiores, illi tamen neq; quoad corpus, neq; quoad res subjiciuntur, sed libertatem suam illibatam conservant *l. 7. ff. de Captiv. & postlim.* Neqve ex istâ protectione infertur territorialis potestas, licèt defensores dicantur *die Obriste Schirm-Herren*. Unde & illi, quibus defensio debetur, non *Schutz-Unterthanen* / sed *Schutz- und Schirm-Berwandte* vocari consueverunt, *Reink. d. R. S. & E. lib. I. class. V. cap. 4. n. 48. & seqq.* modò ista protectio ita sit comparata, ne jura Majestatis auferantur Protegendis, *Bof. introduct. in notit. Rerumpp. cap. III. §. 24.* Patet ergò & hinc, quòd, si quid gravius delinqvant Clientes adversus eum, qui Patrocinium eorum suscepit, non possint perduellionis crimen committere, ob allatam suprà rationem.

THES.



THES. XI.

Antequam hic abeamus, placet adhuc subnectere quaestionem: An Clericus, qui Laico Principi, cui subest, infidiatur, perduellionis reus fieri possit? Non dubitaverim, quin omnes, quotquot Romanam Curiam adorant, in negativam inclinent, inter quos nominatim *Zoësius Comm. ad L. Jul. Maj. n. 9.* ex ea ratione, quod Clerici Laicorum imperio sint exempti, quam colligit ex *supra alleg. vers: Rursus. Clement: Pastoralis. de sentent. & rejudic.* Verum enim verò non apparet ista ratio ex allegatò loco. Cuilibet enim, istum perspicienti, ad oculum patet, Pontificem, ibi negare, Robertum, Siciliae Regem, Majestatis crimen in Imperatorem Heinricum commississe, eò quod Rex iste non Imperatori, sed Pontifici & Romanae Ecclesiae ratione praedicti regni subditus fuerit. Quae autem consequentia: Pontifex in Laicum, qui Imperatori non suberat, malè latam ab Imperatore eòdem sententiam declarat, E. Clerici Laicorum Imperio sunt exempti? Neq; enim Robertus fuit unquam Clericus. Ut taceamus, quod hæc lex, ut *ex vers. penult: Nos tamen ex superioritate. &c.* liquidò constat, Pontificiam sapiat Hiero-Monarchiam, quam in omnia sibi regna ac Principatus Christiani orbis Vaticanus ille Juppiter arrogat; idq; vigore Primatus Ecclesiastici, qui in Bonifacio III. sub Phocà Imperatore, seculo salutis nostrae septimo coeptus, in Gregorio demum VII. Papà ad summam *ἀκμην* pervenit, à quò, & successoribus ejus, jus etiam tam Pontificem, quam cæteros Ecclesiae proceres constituendi, quod hactenus apud Imperatores fuerat, illis, utut vi armatà renitentibus, summà tandem injurià, & maximò Christianae Reipublicae malò extortum est, & sic Clerici Jurisdictioni, & subjectioni potestatis civilis subducti, testibus passim Historicis. *Vid. Covring. Exerc: Academ. de Constit: Episc. Germ. tb. 50. & seqq.*



Planè contra morem primitivæ Ecclesiæ, in quâ omnes Clerici, inter quos & Papa numeratur, eorumq; res potestati Imp. suberant, uti id multæ Imp. Christianorum leges, de personis & rebus Ecclesiasticis, omniq; disciplina Ecclesiastica lata, abundè docent, quales sunt, quæ continentur *C. sub Rubricis: de SS. Ecclef. de Episc. & Cler. de Episcop. audient.* Videatur *Reink. sæpius citatus de R. S. & E. lib. I. class. 1. c. 6. n. 19. & seqq.* nec non *lib. III. class. I. c. 1. n. 32. & seqq.* Quamvis igitur in plerisque terris, ubi Pontificia religio viget, Clerici non subjaceant Civili potestati, ideoq; etiam, quando in Rempublicam enormiter peccant, non, ut perduelles, soleant puniri; quia tamen de jure isti subsunt, aut saltem subesse debent, non possumus non, quin affirmativè ad quæstionem nostram respondeamus, audacter asserentes, Ecclesiasticos omninò perduellionis reatum consciscere posse, quoties Rempublicam gravissime lædunt. Neq; enim hic solliciti sumus, quid fiat, sed quid fieri debeat; nec, juxta tritum illud, multitudo errantium errori patrocinium parit. Adde, quòd summa potestas in qualibet Republica universale Imperium involvat: quò stante, non potest non contradictionem involvere, habere universale imperium, nec tamen omnibus in ista hominibus imperare. *Clasen. compend. Polit. not. ad lib. II. c. III. th. 5.*

THES. XII.

Subiectum  
passivum s.  
objectum: s.  
materia circa  
quam.

Progredimur nunc ad Objectum s. Subjectum passivum, quod nobis est *Respublica*, uti ex definitione nostrâ adparet. Rempublicam verò non generaliter hic accipimus pro *omni cœtu legibus gubernato*, sed *specialiter*, quatenus tale imperium denotat, *cujus actus* (verba Grotii sunt *lib. I. c. 3. §. 7. de J. B. & P.*) *alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanae arbitrio irriti possint reddi*; sive τὸ κρείονα ut Majestas penes unum, sive plures uno fuerit. *Ulpianus in L. 1.*

§. 1.



§. 1. ff. ad L. Jul. Maj. subjectum passivum populum Romanum constituit: quæ verba quidam de libera Romanorum Republica intelligi volunt, antequam scilicet Imp. cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis acciperent, ut Taciti verbis utar *lib. I. Annal. c. 1. §. 3.* Sed hæc opinio videtur *ἀνιστορεῖαν* habere pro fundamento: Prodiit enim Ulpianus, *auctore Conringio Coll. non d. edito de præcip. Script. post C. N. ex Schola Æmilii Papiniani*, quem Juris asyllum doctrinæque legalis thesaurum vocat Spartianus. Jam verò istum ætate Severi & Caracallæ Imperatorum inclaruisse demùm, ex historiis certum est. Unde patet, Jctum potiùs, cujus dicta lex est, de sui temporis jure respondisse, uti benè conjicit *Eckolt in Comm. ad π. p. m. 832.* &, per Synecdochen totius pro parte, Populum Romanum, pro Capite Populi, quod Imperator fuit, nuncupasse. Nisi dicamus, quod Ulpianus d. l. ad vestigia pristinæ libertatis respexerit, quæ adhuc sub simulacris quibusdam vivere videbatur, uti ex Plinio & Apulejo probat *Wissenb. π. disp. 34. θ. 4. in fin.* Id enim egerunt Imperatores, ut, postquam ad se devolutum erat summum Imperium, relicta quadam, speciosa verbis, re inani aut subdola antiqva libertatis imagine, populum demulcerent, quæ potissimùm in iisdem magistratuum vocabulis & consuetis honoribus conspiciebatur, aliisque veterem adhuc Reipublicæ faciem mentientibus, de quibus adi *Arnold. Clapmar. de arcan. Rerumpp. lib. VI. c. 5. & seqq.* Et profectò singulare dominationis arcanum est, ipsa re mutata, nomen retinere, & vicissim mutatò nomine, re ipsa frui. Calluit hanc artem, ut vetera nunc mittamus, egregiè hoc ipso seculò Cromvellus, ille Angliæ suæ Tiberius, quem Carolo I. Rege anno 1649. capite plexò, multos annos, sub Protectoris titulò, potestatem verè Regiam exercuisse, meminimus: Compari ratione hodiernis temporibus Lusitaniæ regno plenariè



narie Don Pedro dominatur, vivo adhuc Alphonso Fratre,  
Rege, eoqve in Tercera insula captivo, solo Principis nomi-  
ne contentus.

THES. XIII.

Ut autem thesin nostram ad hypothesin transferamus,  
querimus (I) An Perduellionis crimen adversus Im-  
peratorem nostrum Romano - Germanicum com-  
miti possit? Certè, cum Germania sit tale imperium, quod  
in his terris nullum supra se agnoscit superiorem, ex cujus  
voluntate pendeat, Imperator verò, ratione augustissimæ di-  
gnitatis ac eminentiæ, hujus, tanquam excellentissimi cu-  
jusdam corporis Caput sit, in quò se Imperialis Majestas,  
etiam extra Comitia, ut in parte præstantiore, conspi-  
ciendam præbet, causâ nihil videmus, quare affirmativâ sen-  
tentiæ non subscribamus; quò facit *arg. text. A. B. cap. 24. §. 1.*  
Sicut igitur, si quis in corpore Physico caput lædit, non po-  
test non totum corpus intertrimento afficere: ita fieri ne-  
quit, quin augustissimo Capite Imperii nostri graviter læso,  
immane damnum in universa membra redundet. *Bur-  
gold. ad Instr. Pac. Monast-Osnabr. part. I. discurs. 10. pag. m.  
264. & seqq.* Testatur id inter cætera triste illud ac lachry-  
mabile Interregnum, quod, Friderico II. Cæsare, morte re-  
bus Imperii exempto, per octodecim, & quod excurrit, an-  
nos Teutonum regno incubuit, de quò merito dici potest  
illud S. Scripturæ: *Non erat Rex in Israël, & quilibet faciebat,  
quod volebat.* Scissi in varias partes Imperii Proceres jus  
ponebant in armis, ut ille optimus esset, qui fortissimus.  
Hæc occasio faciebat fures & prædones nefarios, qui impu-  
nè latrocinia exercebant, arcibus ferè inexpugnabilibus  
montium verticibus hinc & inde impositis, quarum multa  
passim rudera per Germaniam in hunc usque diem videre  
licet, *Horn. Orb. Imp. p. m. 30.*

THES.



Queritur II. An aliquis reliquos Germaniæ Prin-  
 cipes offendens perduellis fieri queat? Ut huic qua-  
 stioni satisfaciamus, necessarium antea ducimus præmonere,  
 dupliciter Principes Germaniæ considerari posse: (1) *per se*,  
 quatenus Principes sunt; (2) *respectivè*, quatenus referuntur  
 ad totum Imperium, & quò respectu membra Imperii & Sta-  
 tus sunt. Priori modo si adspiciantur, negamus, aliquem per-  
 duellionis crimen in ipsos subire posse, quia eorum Princi-  
 patus formam Reip. propriè sic dictæ non constituunt, quippe  
 quorum intuitu non tantum Vasalli, sed etiam verè subditi  
 Imperatoris & Imperii sunt: uti id indicant verba juramen-  
 ti, quod præstare debent: *Dem Kaysers und dem Reich getreu/  
 hold/gehorsam und gewärtig zu seyn.* Exhibet illud *Burgold. d.  
 I. in mantiss. ad Instr. Pac. Cæs. Svec. p. m. 38.* Nec obstat, quod  
 multis juribus Majestatis gaudeant, qualia sunt bellum gere-  
 re, fœdera inire, leges condere in provinciis sibi subditis,  
 tributa imponere, & id genus alia, quæ aliàs soli Majestati  
 propria sunt. Illa enim ipsis non independenter compe-  
 tunt, in qua sententia videtur hæere Anonymus auctor, qui  
 se sub ascititiò Joh. VV. Relfensio Heromontani nomine  
 occultare voluit, *in lib. de summ. Princip. Germ. potest. cap. 11.*  
 sed *dependentè*, ab Imperatore nimirum & Imperio. Cum  
 itaq; Principes Germanici Superiorem supra se agnoscant,  
 in confesso est illis Majestatem propriè sic dictam ratio-  
 ne suorum Principatum tribui non posse, quippè quæ  
 omnem superioritatem supra se excludit. Analogam  
 tamen Majestatem illis non denegamus, quæ aliàs territo-  
 rialis superioritas vocari solet: Germanice: *Lands-Fürstl.  
 Hoheit*; Huc pertinet, quod Illustris Dn. à Seckendorff ha-  
 bet in *Teutschen Fürsten-Staat part. II. p. 59.* daß eine Fürstl.  
*Hoheit nicht gar absolut sey/ sondern auff Kaysersl. Maj: und*  
 das



das H. Reich Thren unterthänigen respect habe. Sin verò posteriori modò Principes Imperii considerentur, concedimus facile, Perduellionis incurrere reatum, quisquis membra & status S. R. Imperii nefariè violat ac lædit: siquidem, non tam ipsi, quàm ipsum Imperii totius corpus per eorum latera obliquè petitur *arg. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* De Electoribus profectò hoc certum est per expressum textum *A. B. artic. 24. §. 1.* Adde *Limmaum observ. 4. & 5.* Ubi & per transennam quasi notamus Imperatorum arcanum, quò Electores præ aliis sibi Principibus demereri solent. Gnari enim, paucorum imperium dominationi propius esse, speciosis titulis illos honorant, quales sunt: *Der Kaysersl. Maj. innerste Râthe/ Obriste und aller nechste Glieder des H. Reichs/ besondere Glieder des Reichs/ Börderste Glieder des Reichs/* uti id ex multis Imperii Recessibus & Capitulationibus, ac novissimè Leopoldina Artic. III. ad oculum adparet. *Förstn. in epist. Negot. Pac. Osnabrug. Monast. concern. p. m. 200.* Quod verò hic de Electoribus & cæteris Germaniæ Principibus dictum est, illud etiam in reliquis Imperatoris Consiliariis obtinet, quia & ipsi pars sunt Imperatorii Corporis. *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* nec distinguitur, utrum isti Consiliarii in aula Cæsarea commorentur, an verò extra illam vitam degant. *Carpz. Prax. Crimin. part. I. quest. 41. n. 55. & seqq.*

THES. XV.

Quæritur III. An & in Pontificem Romanum hoc perduellionis crimen cadat? Sunt, qui absolutè negant, ex ea ratione, quòd in Pontifice Majestas non sit, cum regimen ejus Politicum sacris literis planè repugnet, eò quod Christus ipse, cujus Vicarium se falsò Papa jactat, omnem Jurisdictionem Politicam à se planè abdicasse legatur, quem & Apostoli sunt secuti, qui sæpius quidem judicandi steterunt, nunquam verò judicantes federunt. Verum



rum enim verò distingvendum putamus inter potestatem  
*Ecclesiasticam & Politicam*. Illius respectu non habet maje-  
statem, quia ficulneis nititur argumentis, quicquid ad ful-  
ciendam ejus Hiero-Monarchiam undiqve Pontificii con-  
vehunt: Hanc verò quod attinet, iterum distingvimus inter  
*illimitatam ac limitatam*. In vulgus quippe notum est, in id ar-  
rogantiæ culmen adscendisse pridem Romanos Pontifices, ut  
in omnes Christiani, imò totius orbis Respublicas infinitam  
sibi potestatem adscribant, quod vel ex verbis Gregorii VII.  
Papæ elucet, ad Cardinales & Clerum sic loquentis: *Agite,*  
*Apostolorum Principes, & vestrà auctoritate, quod dixi, confirma-*  
*te, ut omnes nunc demùm intelligant, nos Imperia, regna, Prin-*  
*cipatus, & quicquid Principales habere possunt, auferre & dare*  
*posse; uti ea ex Syring. de Pac. relig. allegat Burgold ad Instr.*  
*Pac. Monast-Osnabrug. part. II. discurs. 17.* Quia verò hæc  
infinita & nullis regionum cancellis circumscripta potestas  
ruinoso fictitii Vice-Deatûs fundamento innititur, *Vid.*  
*M. Anton. de Dominis, in egregio opere de Rep. Eccles. part. III.*  
*lib. VI. c. 10. n. 2. & seqq.* non possumus ipsi, ratione hujus, ma-  
jestatem assignare, prout faciunt *parvæ mentes, quæ spisso ju-*  
*dicio inter Numen & Gephyrium* (i. e. Papam) *vix distingvunt,*  
ut loquitur *Satyra Barcl. in Euphorm. part. III. p. m. 241.* Certè,  
ut de aliis Rebuspublicis in præfentiâ nihil dicamus, nec  
ipsa regna, quibus aliàs colitur Romana religio, agnoscunt  
potestatem Pontificis universalem. Exemplo esse poterit  
pestilens ille liber Santarelli, è Societate Jesu Presbyteri,  
quem in Gallia ad Principem Mauritium à Sabaudia Cardina-  
lem de summi Pontificis potestate scriptum, Anno hujus  
seculi XXVI, Collegium Sorbonæ acri & doctâ censurâ con-  
demnavit, ac paulò pòst Parlamenti Lutetiani placitò servus  
publicus in ignem dedit, attestante *Grammond. hist. Gall.*  
*lib. XV. p. m. 675. & seqq.* *Limitatam* verò & spatiò amplissi-  
marum terrarum, quas possidet, terminatam lubentes ipsi  
C largi-



largimur, ut sic quivis ex ejus Subditis, in Pontificem, tanquā Principem suū, perduellis fieri possit: nam, posito fundamento Majestatis, ipsum quoque effectum concedamus necesse est: quam sententiam communiter tenent Dd. Nec obstat, quod Pontifex Romanus istas terras bona fide & justo titulo non possideat, quippe nec præscriptione nec donatione satis tutus, luculenter probante *Magnò Conringio in aureò opere de fin. Imp. c. 10. & 20. Quod si enim nulla respublica esset existimanda, nisi quæ bono titulo (& bona fide) fundata esset, fortasse paucissimas hodiè, imò ab omni ævo reperire esset, uti monet Bos. in- troduc. in not. Rerumpp. c. 3. §. 17.*

THES. XVI.

Forma.

Forma Perduellionis consistit in ipsa actuali susceptione, quatenus nimirum illa everfionem aut labefactionem Status Publici respicit; voce quidem *actuali* non rigorosè sumpta, sed quatenus & veram ac realem actionis *commissionem*, & veram ac realem actionis *omissionem*, notat. Addidimus verò in definitione vocabulum *directò*, ad innuendum discrimen à Crimine Majestatis *simplici*, quod est, quando aliquis Majestatem Reip. non directò lædit, sed ea, quæ Majestatis sunt, privatò ausu usurpat: quippe ex quibus actibus everfio Reip. immediatè non sequitur: quales sunt monetam cudere *l. 2. C. de fals. monet.* privatos carceres habere *l. 1. C. de priv. Carc. inhib.* quique continentur *l. 2. & 3. ff. ad L. Jul. Maj.* Nequaquam vero leves illi, imò ridiculi sapiùs, qui Tiberii & insequentium quoque Imperatorum temporibus criminis læsæ faciem induisse memorantur, teste *Tac. Annal. l. c. 73. ubi adde Förstn. not. Polit & Cyriac. Lentul. de arcan. Rerumpp. p. m. 666.* quorum & vestigia cernere licet *§. 1. l. 4. & l. 5. & 6. ff. h. t.*

THES. XVII.

Fit igitur perduellionis crimen I. *Committendo*, idque vel



vel *immediatè* vel *mediatè*. Illud accidit, quando quis ipse factò propriò hostilia contra Rempublicam attentat: hoc, si quis consilio saltem adest perniciem fruèntibus Reipublicæ, quò pertinent *l. 1. & l. 4.* & ex parte etiam *l. 3. ff. b. t.* Ambo quippe in pari sunt delicto *arg. l. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & venef.* Ubi monitu necessum existimamus, non ita simpliciter intelligendum esse, quando *d. l. 3. b. t.* ille, qui castra & arcem hostibus dedit, perduellionis crimen incurrere dicitur, sed cum limitatione quòdam, quatenus nimirum illa defendi & in fide sui Principis conservari potuerunt. Si enim planè contra vim hostium defendi nequiverint, extra culpam ponitur dedens, urgente necessitate, cui resisti non potest, ad deditorem adactus. Culpà quippe caret, qui scit, sed prohibere non potest *l. 50. ff. de R. J.* & nullum crimen, (i.e. nullam criminis accusationem, *exponente Wissenbach. comm. ad b. l.*) patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest. *l. 109. ff. eod.*

#### THES. XVIII.

Deinde & II. fit perduellionis crimen *Omittendo*, idq; iterum dupliciter: (1) *Reticièntià*, cum quis neq; factò neq; consilio factiosis adsistit, sed eorum machinationes aliunde compertas non revelat. Per revelationem autem h. l. nihil aliud intelligimus, quàm nudæ scientiæ expositionem, ut distingvatur ab *accusatione*, cum omnis quidem accusans sit revelans, sed non omnis revelans sit accusans. Illam, etsi non probaverit, quivis instituire potest: hanc verò si qui susceperint, omninò probare tenentur manifestis indiciis, nisi tormentis velint subjici, & is qui accusat, & is cujus consilio atq; instinctu ad accusationem accessit, juxta *l. 3. C. ad L. Jul. Maj.* Exemplum simplicis ejusmodi revelationis est apud Thuanum *lib. 135. hist. ad A. C. MDCV.* quo per epistolam, ab ignotò quòdam homine Montaquilio regulo traditam,



immane facinus pulverarium, quod contra Jacobum I.  
(quem aliàs respectu Scotiae VI. vocant) ter maximum Re-  
gem regnumque Britanniae Nonis Novembribus ejusdem  
anni intentatum, adhuc stupet terrarum orbis, divinitus  
patefactum est. Cum itaque non revelans tacite promo-  
vere videatur Perduellionis flagitium, omnino poenam dignus  
censetur, utut mitiori saltem & extraordinaria, & ad sum-  
mum relegatione *arg. l. 40. ff. de poen.* uti complures Dd. con-  
sentiunt. Perit certe reticentiam criminis Franciscus Augu-  
stus Thuanus, praclarissimi illius Historici Jacobi Augusti  
filius, eo quod conspiracyonem Heinrichi Desfiati Qvinque-  
Martii, Magni Stabulo Praefecti, contra primarium mini-  
strum Statuſ Richelium Cardinalem initam, non detexisset,  
Lugduni in ferali pegmate Anno hujus seculi XLII. gladio  
percussus teste *Benjam. Priol. histor. Gall. I. 6. (2) Conatu*, non-  
quidem *merè internò*, qui aliàs intentio agendi dicitur, & de  
quò loquitur *l. 18. ff. de poen.* interpretibus *Zoes. ad tit. π. ad L.  
Jul. Maj. n. 11. & Perez. ad C. eod. n. 12.* sed cum *externò* quò-  
dam actu conjuncto, ita tamen, ut actus iste in delictum con-  
tinuatus non fuerit. Sic poenam nemo patitur, si quis ve-  
neno Principem necare proposuerit: est enim conatus me-  
rè internus, qui, cum societatem civilem non laedat, extra  
civilem est jurisdictionem; at si quis venenum emerit, &  
jam propinandum miscuerit, & tamen vel à principio ex-  
ternò vel internò quòdam impeditus fuerit, quo minus Prin-  
cipi bibendum daret, dicitur conatus cum actu externò  
conjunctus, nondum verò in delictum continuatus: & hunc  
eàdem severitate, quàm effectum, puniri jura voluerunt, uti  
loquitur *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* quam iisdem ferè verbis repe-  
tiit Carolus IV. Imperator in *A. B. c. 24. §. 1. & seqq.* Confer  
*Dn. Ziegl. ad Grot. de J. B. & P. lib. II. c. 20. §. 39.* Huc pertinet  
illud: *In maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adbur,*  
vindi-



vindicantur, cruentamente, pur à manu: ut eleganter differit  
Apulejus in Floridis.

THES. XIX.

Properamus, misâ formâ, ad perduellionis finem, quem <sup>Finis.</sup> ever-  
sionem ac labefactionem Reipublicæ in definitione di-  
ximus. Est enim perduellio crimen atrocissimum ac gra-  
vissimum, quod, nisi in herba exstingvatur, toti Reipublicæ  
ruinam accelerat. Videant ergò, penes quos est Imperii  
summa, ne & in hóc aliquid, quantumvis leve fuerit ac exi-  
guum, in damnum publicæ rei admittant; siquidem parva  
sapè scintilla, contempta, magnum excitavit incendium.  
*Curr. lib. VI. c. 3. §. 11. & multa levia videntur, quæ magnum  
momentum ferunt. Scip. Amirat. ad Tac. lib. XVI. discurs. 1. p.  
m. 522.*

THES. XX.

Effectus perduellionis est duplex: *Primus & secundus.* <sup>Effectus.</sup>  
*Primus* est obligatio, qua aliquis ad patiendum ali-  
quid obligatur, quia nascitur ex delictò s. maleficio §. 2. *J.  
de oblig. l. 1. §. 1. & l. 4. ff. de O. & A. Secundus*, quem & *ortum*  
vocant, est actio seu accusatio, quæ, juxta Jus Justinianicum  
cuius de populo plerumq; datur §. 1. *J. de Publ. Jud. & pecu-  
liariter in hóc crimine receptum erat, ut servi in Domini  
caput torquerentur l. 6. §. 2. l. 7. §. 1. l. 8. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.  
quod aliàs non erat licitum l. 1. §. 5. 8. 13. ff. de quest. nisi do-  
minus, cognatæ alteri nuptæ pudorem eripiendo, incestui  
adulterium ad junxisset l. 5. ff. eòd. Audiuntur & Mulieres l. 8.  
ff. ad L. Jul. Maj. nec non famosi l. 7. ff. eòd. Hodiè verò li-  
bertas accusandi in publicis judiciis est restricta, nec quivis  
de populo ad accusandum admittitur amplius, sed constitu-  
tæ sunt in plerisq; locis certæ personæ publicæ, quæ hóc mu-  
nere defungantur, quales sunt Procuratores Fisci. *Vinn. Comm.  
ad J. p. m. 882.* Adhæc ipse rumor publicus ex commisso de-  
licto*



licito ortus vicem accusationis supplet, maximè, cum hodiernò more omnia judicia criminalia publica habeantur, & per inquisitionem procedatur, quæ nota videtur esse publicorum judiciorum *Vinn. d. l. Struv. JPrud. Rom Germ. Forensf. lib. IV. tit. 1. §. 3.* Quod si verò aufugerit fortè reus, observatò ordinariò procedendi modò citari debet. Sic Cornificio Ulefeldio, illi Daniae Sejano, dies hòc ipsò seculo dicta fuit, quæ se suspicione structarum Friderico III. Regi insidiarum liberaret, uti patet ex scriptò Anonymi auctoris, cujus titulus: *Machinationes Cornificii Ulefeldii*: quod vide. Aliud tamen obtinet, si metus adest, ne ordinaria Juris viadammum afferat, & aut Principi pereundum sit, aut, qui in ruinam Reipublicæ conspirarunt, tutò & absq; seditione capi non possint, tunc enim omninò licet ab executione initium sumere, & spretò legum ordinario processu, reos, incognitâ Judicibus causâ, necare *l. 6. §. 9. ff. de injust. rupt. irrit.* Melius quippe est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare *l. 1. C. quand. lic. unic. sine Jud. & remedium statim quærere, non post vulneratam causam. arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr: restit.* Sic Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex optimò jure par Fratrum Gvisiorum, à quibus ipsi ultimum imminabat exitium, inopinà nece sustulit, teste Thuano *lib. hist. 93. ad A. C. MDLXXXIIX.* & Ludovicus XIII. itidem Franciæ & Navarrae Rex Ancreaum Marchionem, auctore *Grammond. lib. II. hist. Gall. p. m. 158.* Nec aliâ ratione usus est Ferdinandus II. Imperator in Walensteiniò Germaniæ Sertorio, qui jam Bohemiæ Coronam spe devoraverat, sed inter ingentes animi destinationes Egræ Anno 1634, hastâ transfossus est. *Theat. Europ. part. III. fol. 183. Brachel. hist. nostr. temp. lib. V. p. m. 242.*

THESES. XXI.

Accusationem insequitur pœna, quam in genere describi-



scribimus cum Hugone Grotiò *lib. II. cap. 20. §. 1.* quod sit *ma-*  
*lum passionis, quod infligitur ob malum actionis.* Duplicem  
verò hîc considerationem recipit (1) *formaliter*, quatenus  
ipsum peccantem afficit. (2) *materialiter*, quatenus extra de-  
linquentis personam ad alios quoq; se extendit. Priori modò  
& *satisfactoria* est, quatenus nimirum delinquens satisfacit  
Reip. cujus intererat, non esse peccatum, & *exemplaris*, qua-  
tenus utilitas ejus indistinctè redundat ad omnes, ut ex sup-  
plicio unius conspicuo poenæ metus sit multorum & à nocu-  
mentis ceteri deterreantur. *Grot. de Jure B. & P. lib. II. c. 20. §.*  
*7. usq; ad 9. inclus.* Videatur etiam *Pl. Rev. & excellentissimus*  
*DN. L. Alberti in Colleg. MSto nuper habito ad hoc Grotii caput.*  
*§. 9.*

THESES. XXII.

Modus puniendi perduellionem non unus est. Apud  
plerasq; Gentes ob atrocitatē ejus ultimum est supplicium.  
Prisci Romanorum cœercebant hoc crimen supplicio crucis,  
cui in Campo Martio posita reus à Carnifice, in urbem vo-  
catò, affigebatur. *Dio. lib. 36.* Quamvis enim carnifici nefas  
esset, civem Romanum tangere, teste *Cicerone pro Rabirio*,  
attamen simulac quis perduellis factus ac judicatus erat, ci-  
vium privilegia amittebat, uti constat *ex Liv. lib. I. cap. 26.*  
De Jure civili gladiò perduelles puniuntur *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.*  
Nostris moribus dissectio in quatuor partes obtinet. *Ord.*  
*Crim. Artic. 124.* ad exemplum ferè Metii Suffetii, quem per-  
fidè agentem, jubente Tullo Hostilio, Romanorum Rege, in-  
ter duos currus religatū, in diversas partes pernices equi di-  
straxerunt. *Liv. lib. I. c. 28. in fin.* Quod si rei fugā poenā se subdu-  
xerint, & citati non comparuerint, supplicium de effigie eorū  
sumitur: quod factum Ulefeldio Hafniæ meminimus. Sequi-  
tur Confiscatio bonorū *d. l. 5. C. ad L. Jul. Majest. Authent: Bona*  
*damnatorum C. de bon. proscrip. A. B. tit. 24. §. 1. Constit. Crim.*  
*Caroli*



*Caroli V. Artic. 218. Et quidem si notorium crimen est, ipsò Jure, sin secus, per sententiam condemnatoriam. Frantzck. exerc. 14. n. 17. p. m. 1130. Excipiuntur tamen bona Imperii feudalia immediata, quæ ab Imperatore in feudum conceduntur, & fisco non vindicantur, sed proximis agnatis relinquuntur. Sic cum Ferdinandus II. Imperator, Friderico V. Electore Palatino proscripso, terras Electorales hoc ipsò seculo ita sibi obvenisse assereret, ut, nõ attentis filiis aut agnatis proximioribus, de iis pro lubitu disponere posset, gravissimè Saxo & Brandeburgicus Electores restiterunt. Vid. Lundorp. Act. Publ. part II. lib. VI. hinc & inde. Aliter verò se res habet in bonis feudalibus mediatis, quæ à Statibus Imperii conferuntur: de quibus, ut & de allodialibus, clara exstat dispositio Capitul. Ferdinandi III. artic. 29. Tandem & memoria rei post mortem damnatur. Et si enim crimina aliàs mortalitate extingvantur, tot. tit. C. si reus l. accus. mort. fuer. aliud tamen obtinet in hõc delictò, quod etiam post mortem rei moveri incipit l. 6. l. 7. l. 8. C. ad L. Jul. Majest. l. 20. ff. de accus. dict. artic. 24. A. B. c. 8. Nihil autem aliud est damnare, memoriam explicante Gailio lib. I. de Pac. Publ. c. 20. n. 8. quàm processum instituere, non quidem contra defunctum, quippe in quem sententia ferri nequit; sed contra ejus memoriam, citatis filiis, cognatis & successoribus, quorum interest, ne fiat arg. l. 39. de adopt. Et emancip. nisi illi ipsi defunctum crimine imputatò purgaverint: differt hæc in re à Crimine Majestatis simplici, quod morte extingvitur l. fin. C. ad L. Jul. Majest. Huc etiam referri solet destructio domus Rei, in certis locis usitata, juxta c. felicitis depæn. in 6to. quod supplicii genus, cum de Sp. Melio primùm apud Romanos sumptum fuerit, Æquimelii nomen inde sortitum est apud Liv. lib. IV. c. 15. in fin. Apud eosdem & effigies & statux perduellium tollebantur l. 24. ff. de pæn. Idem factum de ædibus Francisci Rava-*



Ravallaci Regicidæ in Gallia, referente *continuat. Thuanii*  
*lib. III.*

THES. XXIII.

*Materialiter* si pœna perduellionis consideretur, propriè pœna non est, quippe pœna propriè sic dicta semper antegressum delictum præsupponit, & illi tantummodò infligitur, qui factò aliquò turpi reatum sibi attraxit. Patet ex hoc cuivis, quòd si quando perduellis alicujus filii & posterii aliquod malum passionis patiuntur, non possint propriè dici pœnam sustinere, sed infortunium potius seu onus: quòd quidem pro diversitate Gentium diversum reperitur. Scythas profectò liberos masculos una cum parentibus perduellibus occidisse, auctor est *Herodotus lib. IV.* Eàdem severitate Romani erga perduellium liberos usi sunt, test. *Cic. lib. singul. ad Brutum epist. 12. & 15. Sveton. Neron. c. 36.* Crudeliores his fuere Macedones, qui propinqvos etiam necabant, *Curt. lib. VIII.* & hodiernum Japonenses sunt, apud quos tùm ipse delinqvens, tùm illi qui eum cognatione saltem aliquà attingunt, pedibus decussatim compositis humi sedentes, & quidem eàdem horà omnes, ventrem sibimet ipsis dissecare compelluntur, uti refert *Arnoldus Montanus in Denckw. Gesandtsch. an die Käyser von Japan fol. m. 83. & seqq.*

THES. XXIV.

Verum enim verò olent hæ Gentium leges Draconis rigorem, qui humano sanguine constitutiones suas censetur exarasse, ideoq; jure meritò omnibus Christianorum Rebuspublicis exulare debent. Sunt enim contra divinam Justitiam, uti liquet *ex Deuter. XXIV. v. 16. & Ezech. XVIII. v. 20.*

D

Nec



Nec obstat, quòd DEUS à posteris etiam sapius pœnas exigat ob delicta majorum; siquidem DEUS paternam impietatem, non nisi conditionaliter in posteris vindicare solet, si nimirum & ipsi impii fuerint, & vel similia vel alia flagitia admiserint. Certè in liberos Achanis, qui cum parente lapidibus obruti sunt, *Jos. VII. v. 24. & seqq.* non jure *dominii* usus est DEUS, uti vult *Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 21. §. 14.* sed *pœna*, quia credibile est, totam ipsius familiam furto isto contaminatam fuisse. Nec aliã ratione in liberos Saulis, Jerobeami, & Achabis divina Nemesis exarsit, quàm quod ipsi peccatis vel Parentum vel propriis se contaminassent. *2. Reg. XXI. v. 1. 1. Reg. XIV. v. 13. 2. Reg. I. in princip. & cap. 3. v. 2.* Et quamvis sint, qui è salute Reipublicæ fore dicunt, si liberi & cæteri propinqui capitis supplicio pereant, quoniam, ob metum ultionis parentibus futuri similes existimantur, imò, quod hòc modò alii, pœnam metuentes, crimen maturè aut detecturi, aut saltè prohibitori sint; tanti tamen hæc non habentur, ut ipsorum sententiæ calculū adjiciam⁹. Primò enim incertus metus ad mortem hominis non sufficit, nec perpetuæ veritatis est quod malus corvus malum semper ovum ponat. Exemplo sunt Amazia Rex Judæ, qui ex impio patre Joã procreatus pietati studuit. *2. Reg. XIV. v. 3.* & præcedente seculo Jacobus VI. Scotorum Rex, quem Elifabetha, illa Angliæ suæ Semiramis, clausis sigillo literis, manu propriã scriptis, & post mortem suam demùm aperiendis, ad scepri successione vocasse dicitur, non obstante, quod mater ejus Maria Scotiæ Regina, atrocium criminū in Elifabetham, Angliæ Reginam accusata, securi percussa fuerit *Thuanus lib. 129. ad A. C. MDCIII. & lib. 86. ad A. C. MDLXXXVII. Emanuel Metteranus hist. Belg. lib. 13. pag. m. 538. & seqq.* Deinde nec altera ratio nos quicquam movet. Etsi enim nonnulli severitatem S<sup>C</sup>ti Silaniani



niani apud, *Tac. Annal. lib. XIV. cap. 44.* ex eadem excusare  
fustineant; fieri tamen non potest, quin eò modò multi in-  
nocentes pereant, cum accidere possit, ut ignorent crimen  
cæteri, quod unus ex iis Reip. intentavit. Jam verò factum  
alienum nemo divinare tenetur *l. 31. ff. in fin. ad L. Aquil.*  
modò ignorantia illa non sit nimis crassa & supina ex nimia  
negligentia aut securitate proveniens *l. 6. ff. de Jur. & fact.*  
*ignor.*

THES. XXV.

Mitiori longè, quamvis & sic sat rigida animadversio-  
ne in liberos leges Civiles utuntur, quæ quidem vel perso-  
nas vel bona eorum respicit. *Personam* respicit (1) *infamia*,  
quæ ex patris delicto omnes comitatur, *l. 5. §. 1. C. ad*  
*L. Jul. Maj.* sive masculini sive foemini sexûs fuerint.  
Nam semper sexus masculinus etiam foemineum sexum  
continet, *l. 62. ff. in fin. de legat. 3.* Idem obtinet in liberis  
*naturalibus & emancipatis*, cum allegata *l. 5. §. 1. d. t. genera-*  
*liter loquatur*, & in omnibus eadem ratio, à naturâ & san-  
gvine ducta militet. Excludimus autem filios *adoptivos*,  
in quibus paterni criminis exempla metui non possunt, &  
*nepotes*, quia lex odiosa, quæ amplianda non est, saltem filio-  
rum mentionem facit. (2) *Privatio honorum & dignitatum.*  
*d. l. 5. §. 1. d. t. & A. B. artic. 24. §. 1.* Apud alios populos acce-  
dit relegatio perpetua, & nominis insigniumque mutatio.  
Sic Anno instantis seculi decimò, Adscendentes Francisci  
Ravallaci, qui manu parricidâ vitam Heinrichi IV. Franciæ  
& Navarra Regis abruperat, perpetuò exiliò multati sunt,  
cæteris autem consanguineis injunctum, ne rei hujus cri-  
minis nomen usurparent, sed ejus loco aliud sibi sumerent,  
docente *Continuat. Thuan. lib. III.* Quod & de Comitibus à



Nadasti filiis factum, qui, Patre, ob perduellionis reatum, Anno 1671. Viennæ capite plexò, nunc abolitò prisco nomine, *Domini à Cruce* vocantur, uti narrat Auctor libri, qui anno proximè præterlapsò Amstelodami prodiit, cujus titulus: *Schauplas des Kriegs/ auffgerichtet in den vereinigten Niederlanden/ &c. part. I. p. m. 317.* Parili ratione in Scotia regno nomen Ruvenorum, ex quibus Alexander & Johannes, fratres Germani, Jacobum VI. tunc Scotiae Regem, spe vanà thesauri tradendi illectum, in vitæ discrimen infidiosè deduxerant, *tamquam infame & detestanda memoria omninò abolitum, decretumq̃, ut superstites duo fratres, gentilesq̃ omnes, eò depositò, maternum aut alterius familie adoptivæ, aliena item insignia, avitis omissis, sumerent.* *Thuanus lib. 124. ad A.C. MDC.* In Anglià hic mos obtinet, ut quilibet Parlamenti Procerum in albo, quem manu gestat, bacillo, tot nigras lineolas in orbem ductas habeat, quod crimina Majestatis familia ipsius commisit. Ubi notari meretur, Comites Oxonienses, quibus & *Veriorum, de Vere*, cognomen est, adhuc solos, licet in vigesimo & amplius gradu descendentium constitutos, baculo totò albo, in puritatis ac innocentia suæ testimonium, niti, prout refert *Becmann. notit. dign. illustr. dissertat. de Comit. cap. III. §. 2.* Quod verò ad bona liberorum attinet, distinguitur inter liberos *masculini & sequioris sexus.* Illi tum à maternà, tum avità, imò etiam proximorum hereditate ac successione habentur alieni, nec extraneorum testamentis aliquid capere possunt *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. A. B. artic. 24. §. 1.* His verò conceditur ex bonis maternis legitima, quæ hîc impropriè Falcidia dicitur, monente *Rittershusio part. VI. c. 4. n. 4. ad Novell.* quia nimirum mitior circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexûs minus ausuras esse spes est. *d. l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj.*

THES.



Quousq; autem æqvitas hujus legis se extendat, de eò multi inter se dissidium alunt. Plurimis plus justo rigidior & à divinâ & naturali æqvitate prorsus abhorrere visa, inter quos etiam *Wissenb. disput. 34. ad π. tb. 12* His accedit *Vinnius in Comm. ad S. 3. J. de publ. Jud. n. 2.* existimans cum *Budæo, Arcadium & Honorium Imperatores auctores hujus severæ constitutionis, pœnitentiâ ductos, illam bienniò post iterum abrogasse per l. 22. C. de pœn.* Et quamvis contradicant *Perez ad C. de pœn. n. 3.* aliiq; qui de propinquis saltem in pœnæ consortium non trahendis, nequaquam verò de filiis, eam loqui volunt; attamen priori sententiæ subscribunt saniores; & quidem duplici de causâ (1) quod ratio d. l. 22. sit generalis (2) quod filius Patri agnatus proximus dicatur *l. 12. ff. de suis & legit hered.* ideoq; etiam sub propinquis contineatur *vid. Limn. ad A. B. cap. 24. v. 1. observ. 15.* In Gallia sanè & Belgio mitius agi cum Perduellium filiis, quoad bona eorum testatur *Perez. n. 26. C. ad L. Jul. Maj.* Bonos quoq; Principes, ne magnitudinem pecuniæ, quam damnatus habebat, & avaritiam suam reo exitium attulisse dici posset, liberis aut agnatis eorum bona transmisisse ostendit *Forstn. ad Tacit. Annal. lib. VI. p. m. 690.* Sunt etiam, qui severitatem *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* tueri quodammodò ajunt, quod sæpius observatum sit, crimen Majestatis certis familiis veluti hereditarium fuisse, ideoq; etiam Imperantes eas meritò habuisse suspectas, quales fuerunt Cassiorum, Corneliorum, & Brutorum. *Uid. Boecl. ad Sveton. Cæs cap. 80. Forstn. not. Pol. ad Tac. Ann. lib. I. p. m. 84. & in hypomn. Polit. IX.* Quicquid vero tandem de ea sit, nos Constitutionibus nostris Imperialibus constanter inhæremus, impugnantibus iniquita-



tem eorum reponentes, ita legem scriptam esse, quamvis perquam dura sit *l. 12. ff. qui & à quib. manumiss.* nec rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri oportere *l. 21. ff. de leg.* Huc referri etiam possunt, quæ differit *Habn ad Wesenb. part. II. p. m. 463.* Ambabus tamen largimur manibus, nimis periculosum esse, constitutiones hæc in regnis, præcipuè liberis, rigidè executioni mandari, quoniam non nescimus, complures Imperii Status, cum Ferdinandus II. Imp. iudicium criminis læsæ in multos genere & dignitate conspicuos A. C. 1621. Pragæ Bohemorum exercuisset, altiùs illud pensitasse. *Burgold. ad J. Pac. Monast-Osna-brug. part. I. discurs. 1. p. m. 77.*

THES. XXVII.

Contraria.

Tollitur perduellionis reatus (1) pœna, quam supra *thes. 21. & sequent.* exposuimus. (2) Aggratiatione, quando nimirum scelerato ex mera gratia pœna remittitur: quò facit *l. 5. §. ult. C. ad L. Jul. Majest.* Neque enim huic crimini divinum jus mortis pœnam constituit, uti homicidio planè voluntario, cujus supplicium Princeps in mitius convertere non potest. *Struv. JPr. R. G. F. Lib. III. tit. 29. §. 1.* Competit verò hoc jus aggratiandi non nisi summæ potestati in Rep. *l. 45. ff. §. 1. de re jud. l. 1. in fin. ff. de quest. l. 9. §. 11. in fin. l. 27. §. si tamen. l. 31. ff. de pœn.* Hinc Carolus V. Imperator, Senatui Mediolanensi summam in judicando potestatem concedens, hoc jus sibi expressim reservasse legitur apud *Bodin. de Republ. L. 1. c. 10. p. m. 257.* In Germania nostra veniam delinquentibus dare potest quivis, qui jure superioritatis territorialis gaudet. *Carpzov. Prax. Crimin. quest. 150. part. III. num. 20.*

THES.



THES. XXVIII.

Extingvitur (3) Perduellionis flagitium *prescriptione*, eaqve vicennali, l. 12. C. ad L. Corn. de falsis, modò per citationem & accusationem intra hoc spatium illa non interrupta fuerit. *Carpz. Prax. Crimin. part. III. quest. 141.* Omnis enim præscriptio, sive longi sive longissimi temporis sit, per accusationem interrumpitur, l. 2. C. de *annal. except. Add. Perez. ad h. t. C. n. 3. & seqq.*

THES. XXIX.

Affinia Perduellioni sunt (1) *Majestatis Crimen*, Affinia.  
*simplex*, quod suprâ *thes. 16.* nonnihil attigimus. (2) *Blasphemia*, quod est quodlibet dictum contumeliosum in Majestatem divinam. Hæc apud Judæos ultimò supplicio coërcebatur *Levit. 24. v. 13. & 14.* quod & de Jure Justinianè obtinet *Novell. 77. cap. 1. §. 2.* Nostri moribus arbitrariè puniuntur blasphemi, uti patet ex *Recess. Imp. Aug. de A. 1530. von Gottes Schwüren und Fluchen / & de Ao. 1548. eod.* In terris Electoralibus Saxonis præterea, ante executionem pœnæ, blasphemantes, in terrorem aliorum, sistuntur prius omnibus conspiciendi, præ curiarum aut templorum foribus, collo circulo ferreo inserto *Carpz. Constit. Elector. part. IV. Constit. 1. def. 6.*

THES. XXX.

Affinis perduellioni (3) est *maledicentia*, si quis nimirum convitiis Principem lædit. Huic, si ex levitate, insaniam aut injuria processerit, veniam indulserunt Imperatores. *l. unic. C. si quis Imper. maledix. nisi necessitas exempli pœnam*



poenam exigat, quò pertinent verba finalia hujus legis. Sapit hæc constitutio primorum Imperatorum tempora, in quibus plebi, ut simulacrum haberet pristinæ libertatis, *παρρησία* quædam concessa fuit, quâ de re vid. *Arnold. Clapmar. lib. VI. c. XI. de arcan. Rerumpubl.* Hodie apud nos poena maledicentium Principibus est arbitraria. *Carpzov. part. IV. constit. Elector. I. defm. 3. n. 9. Idem prax. crim. part. I. quest. 41. num. 120.*

Et sic, quam telam, Auspice JESU, cœpi, hanc eodem Duce, pro ingenii modulo, tandem pertexui, humilimas ipsi persolvens gratias, quod huic opellæ meæ Spiritûs sui auxilio tam clementer adesse voluerit. Quò quidem ne & impofterum dedignetur meis adspirare studiis, est quod calidissimis precibus à divinâ ipsius bonitate rogem.

T A N T U M !

Inco.





**I**ncoctum Honesto pectus, ECKOLDI,  
tuum

Multipliciqve Jurium scientia  
Et arte Recti, quæqve nos vulgo levi  
Secernit, Hæmi & culmine in summo locat,  
Humanioris literaturæ scium,  
Ut multa prostant clara testimonia  
Notæqve nobis, una sic (mirum) tua,  
Invisa multis cateroqvi & perfida  
Fuci qve plena, plena falsimoniis,  
Exceptione major & bonâ fide,  
Atqve eruditione non parvâ potens,  
Sive ordo pulcher, pulchra sive dictio  
Aliena & illâ publicâ sribligine,  
Antiqvitasqve poscitur recondita,  
Laborqve prisca comparans recentibus,  
Dicamne? Dicam, PERDUELLIO probat.

*Amico & Commensali æstimatissimo  
faciebat*

FRID. RAPPOLT,  
SS.Th.D. & Prof.Publ.

E

Novi



**N**OVI ECKOLTE tuum, Patriæ Spes optima,  
laudo  
Egregium studium, conamina sedula novi,  
Queis Tibi divitias Sophiæ cumulare studebas  
Hactenus, & gemini spatiosa volumina Juris  
Volvebas: Promitto brevi sat commoda magna.  
Dum verò intrepidus Doctorum pulpita scandis,  
Jam dum haud exiguam falso sudore paratam  
Ostentas Gazam, *Feliciter*, accino, *fauste*.

D. C. T. R.

---

**Q**Vanta per *Historicos spatia*, *INCLUTE*, *fe-*  
*ceris agros,*  
*Perque Europea stemmata clara plaga,*  
*Ante alios novi (quid celem?) certior unus,*  
*Mentis opes propius cui patuere tua.*  
*Scilicet interno Genii stimulatus ab æstro*  
*Cœpisti ad Salam BOSIA signa sequi,*  
*Nostræque adscriptus Philura, comitante R.A-*  
*POLTO,*  
*Quo tibi non juvenis junctior alter erat,*  
*Arsisti emensos iterum emetirier Orbes,*  
*Regnorum & varias reppetiisse vices:*

At



At nunc in publicas se vis Tua proripit auras,  
Abdita privati claustra perosa laris,  
Quantum & in historico valeat prestare thea-  
tro,  
Quantumq; in circo Juris utroq; probat.  
Sistis enim ex variis perjura Catharmata re-  
gnis,  
Prodere quæ Dominos non timuere suos,  
Quæq; istud Nemesis tam detestabile crimen  
Excipiat, summâ non sine laude doces.  
Maçte ausis, ECKOLTE, tuis, Legesque ve-  
rendas,  
Quod facis, Historicis jungere perge sa-  
cris,  
Et tua Te quondam Polyhistora GERASTU-  
pebit,  
Dicetq; ECKOLTUM Te Themis alma  
NOVUM.

scrib. langvente Musâ  
de Clarissimi politissimiq; DN. ECKOLTI,  
Amici singulariter dilecti conatibus præ-  
cellentissima quæque ominatus

L. Joachimus Fellerus,  
P. P.

Cri-



**C**Riminis, ingenii malè te posuisse vigorem  
Ne reus existas, sedulus ipse caves.  
Ipse caves, multumqve olim cavisse juvabit  
Præmia consilium cum feret hocce Tuum.

*Auditori suo perquam industrio*

*f.*

Andreas Mylius,  
J.U.Licentiand.























Criminis  
Ne r  
Ipse caves, n  
Præmi

nalè te posuisse vigorem  
sedulus ipse caves.  
olim cavisse juvabit  
cum feret hocce Tuum.

*tori suo perquam industrio*

f.

Andreas Mylius,  
J.U.Licentiand.

